
PARTIE OFFICIELLE

LETTRE DE S. S. BENOIT XV

Dilecto Filio Nostro

LUDOVICO NAZARIO S.R.E. PRESB. CARD. BEGIN

Archiepiscopo Quebecensi

BENEDICTUS PP. XV

Dilecte Fili Noster,

Salutem et apostolicam benedictionem.

Animus tuus, Nobis et huic Apostolicæ Sedi singulariter deditus, omnis in eis tuis litteris apparet, in quibus gratias Nobis agens diligenter quod clarissimo viro finem diuturnæ captivitatis impetravimus, occasione uteris ut universam instituti Nostri rationem, quæ adhuc bello fuerit, attingas. Ea quidem apertior cuilibet et clarior est quam ut illustranda videatur. Exarserat iam per Europam hic armorum furor, quando ad Pontificatum maximum evecti sumus : cumque id incendium circumscribere Nobis non liceret. nedum restinguere, conari cœpimus quod unum restabat, ut coniuncta huic tanto malo incommoda, quantum esset in Nobis, mitigaremus. Hinc illa excogitata Nobis alia ex aliis caritatis officia variis miseriis angoribusque sublevandis : quæ tu officia enumerans, iure affirmas Nos in iis tribuendis nullum inter belligerantes fecisse discrimen. Eodem consilio, quod universitati gentium salutare foret, ut cædes vastationesque finirentur, Nos, quotiescumque tempus visum esset, pacem, scilicet cum iustitia coherentem, suasisse, egregie defendis, dolens Patris vocem hortationemque neglectam tum præsertim, cum ea, quæ sola viderentur esse posse, rei componendæ capita proposuisset. Equidem isto pacto caritati Nostræ esse responsum moleste tulimus ; nam quis crederet futurum, ut quod a Nobis profectum esset munus paterni amoris ad homines inter se reconciliandos, id ipsum converteretur adversum Nos in materiam popularis odii ? Quamquam hac in re non tam est miranda quorundam improbitas qui Nos de studio alterutrius partis acriter in vulgus accusarint, quam multorum temeritas, qui vanissimæ criminationi fidem adiunxerint. Iam vero hanc iudicii levitatem nequam in Canadensibus utriusque linguæ catholicis esse reprehendendam, qui Nobiscum semper de hoc bello una et mente et voce consenserint, libentissime ex tuis quoque litteris cognovi-